

culi æquidistantis basi, & in loco axis figatur lamina lineæ superficiæ incidentis uel incide-
dente planantis, moueaturq; ad concuandum speculum, & tornetur sicut tornantur



alia instrumenta, donec periferia acuta laminae occurrat toti superfici
cui speculi, & euacuetur omnis asperitas ipsius, planeq; quanto
est possibile, eritq; tunc superficies illius speculi secundum totum ha-
bens figuram sectionis parabolæ, & fiet ab omnibus punctis suæ sup-
ficiæ reflexio in punctum unum, similiterq; modo faciat ingeniosus
artifex in alijs lineis quibuscunq;, ut in illis lineis quas per 37. & 38.
huius docuimus inueniri, quoniam in omnibus his idem est operan-
di modus, ut secundum fixam diametrum a c, in 37. huius, uel secun-
dum fixum punctum q, in 38. huius, fiat dictarum linearum reuolu-
tio super subiectas sibi pportionales corporis superficiæ superficies,
prouenientq; figuræ similes illis lineis à quarum superficiebus reflexi radij omnes ad
unum punctum naturalem uel mathematicum concurrent, patet itaq; propositum.

LIBER DECIMVS

PERSPECTIVAE VITELLIONIS.



Superius duos modos uisionis, scilicet eū qui fit directe per unum medium
diafonum, & eū qui fit per reflexionem à politis corporibus tractauimus,
super est nunc ut tertium uidendi modum, qui fit per refractionem factam
à pluribus diafonis corporibus medijs inter uisum & rem uisam prosequa-
mur. Quoniam & secundum hunc modum diuersimode uariatur actio
naturalium formarum & modus actionis. Virtutes enim formarum naturalium aggre-
gatae per refractionem fortius agunt, & plus actionis formæ corporibus susceptibili-
bus imprimunt, unde etiam accenditur ignis ex radijs solis sub corpore sphaerico diafo-
ni densioris aëre uel aqua, ut sub glacie uel cristallo, uniuersaliter uero aggregatio uirtu-
tis radiorum stellarum uel aliarum formarum in eodem puncto naturali uel circa illud
fit fortioris actionis, dispersio uero uirtutum naturalium formarū debilitat actiones na-
turales, disgregata enim uirtus debilius & minus agit. In his autem omnibus sicut & in alijs
modis uidendi superius diximus, uisua cognitio signum est non causa. Non enim
quia uisus sic uidet, ideo sic accidit in formis rerum agentium, sed quia sic agunt formæ na-
turales, ideo ipsas sic agentes uidet uisus, nisi forte in quibusdam deceptionibus, quæ ui-
sui accidunt per seipsum. Omnis autem passio secundum modos cuiuscunq; refractionis
naturæ accidens uel uisui, fit semper propter diuersitatem diafoneitatis mediatorum cor-
porum inter agens & passum, uel inter uisum & rem uisam. Corpora uero diafona no-
bis assueta, sunt aër, qui est rarioris diafoneitatis omnibus alijs diafonis corporibus,
excepto corpore cœli, quod est rarius aëre, ut postmodum demonstrabimus in progres-
su. Hic autem in tota sequente tractatu nomine aëris & ignem accipimus, quia licet in-
ter hæc sit differentia specifica formalis & diuersa raritas in dispositionibus materiae, no-
tamen ex hac diuersitate aliqua accidit diuersitas sensibilis in formarū refractione, quo-
niam ignis qui apud nos est hic inferius, est in materia grossa terrea uel aquea uel aërea,
& secundum hoc sequitur passiones corporum aliorum, ignis uero in sphaera sua est se-
cundū sui formalem distinctionem aëri contiguus, & secundum naturam diafoneitatis
continuus, non habens distinctam superficiem ab aëre in qua sit possibile refractionem
sensibilem fieri. Aër enim quanto propinquior est cœlo, tanto fit rarioris diafoneitatis, si-
militer et ignis, ita quod infimum ignis & supremū aëris est diafonitas quasi una, in qua
refractio sensibilis fieri non potest, & itaq; superficies concua ignis non est diuersa dia-
foneitatis & sensibilibiter determinata à superficie conuexa aëris, ideo non fit refraçtio in-
ter illa, & sic ignem in hoc tractatu sub nomine aëris implicamus. Est tamen aliqualis
refraçtio